

unde fit in tanti vendere huiusmodi rem sit honestum objectum respectu iustitiæ voluntatis, quia in illo reperitur medium iustitiæ, quod licet habuerit ortum ex lege, non tamen consistit in conformitate ad illam, sed in æqualitate rei ad rem. Idem videre licet in lege præcipiente actum temperantiæ, quæ habet vim et efficaciam moralem ad præscribendum medium in illa materia, et sic de aliis. Alio autem modo potest hæc bonitas ex lege oriri quasi formaliter, quatenus hoc ipsum, quod est subdilecti, et conformari illi, bonum est: et hoc sensu verum est aliquam bonitatem honestam objectivam posse sumi ex conformitate ad legem, tamen illud et est speciale de bonitate obedientiæ, et præterea requirit conformitatem cum natura rationali, in qua consummatur formalis ratio objectivæ honestatis, ut jam dicam.

8. *Tertia opinio.*—Tertia ergo sententia esse potest, hanc bonitatem honestam nihil aliud esse, quam bonitatem transcendentem earum rerum, quæ sunt ex se objecta honesta, quia nihil aliud in eis excogitari potest ad hanc honestatem, ut videtur probare ratio in principio facta, et alia argumenta contra citatas opiniones: et præterea, quia bonum transcendens dividitur in honestum, utile, et delectabile: ergo bonum honestum comprehenditur sub bono transcendentali: ergo honestas in quocumque objecto honesto erit talis bonitas transcendentalis ejus. Confirmatur inductione, nam Deus est optimum summe honestum, hoc autem habet ratione suæ infinitæ bonitatis, quæ respectu illius est bonitas transcendentalis talis infiniti entis; et idem reperitur in quolibet actu humano, si ut objectum alterius actus concipiatur, nam ratione suæ entitatis, et bonitatis transcendentalis, est objectum honeste amabile.

9. *Hæc opinio non omnino satisfacit.*—Hæc opinio proxime accedit ad veritatem, non satis tamen explicat rem totam, nam constat non omnem bonitatem transcendentem sufficere ad honestatem. Explicandum ergo esset, quid addat honestas objectiva supra bonitatem transcendentem in communi. Deinde, quia multorum opinio est bonitatem transcendentem esse absolutam per convenientiam rei ad se ipsam seu ad suum appetitum naturalem, vel elicatum, quomodo est Deus bonus sibi, etiamsi nulla sit creatura: at vero hæc bonitas honesta non potest esse omnino absoluta, nam eadem res respectu huius est honestum objectum, et non respectu alterius. Tandem lex non potest

mutare bonitatem transcendentem rerum, et tamen potest mutare objectum de honesto in turpe, si illud prohibeat.

10. *Prima assertio.*—*Bonum aliud absolutum.*—*Aliud respectivum.*—Dicendum primo hanc honestatem objectivam consistere in quadam convenientia objecti honesti per se ipsum ad naturam rationalem, ut talis est. Ut explicetur et probetur hæc conclusio, de qua videri possunt dicta in disput. 10, Metaph., sect. 1, n. 12, et sect. 2, a num. 11, suppono ex D. Augustino, 8, de Trinit., c. 3, et ex D. Thoma, in 2, distinct. 27, quæst. 1, art. 2, ad 1, et quæst. 1, de Virtut., art. 2, ad 1, et aliis locis citandis, et ex Scoto, quodlib. 18, dupliciter aliquid denominari bonum, uno modo in se ipso, alio modo respectu alterius. Priori modo idem est bonum, quod perfectum, teste D. Thoma, 1 part., quæst. 5, art. 1, et seq., et eodem sensu videtur usus nomine bonitatis 1, 2, quæst. 18, art. 1, cum inquit tantum habere unamquamque rem de bonitate, quantum habet de esse, et eodem sensu, loco citato, et 1, 2, quæst. 5, art. 4, ad 1, censet accidentia et virtutes ipsas non esse aliqua bona, sed esse potius bonitates quasdam: quod est intelligendum in eo sensu, quo dici solet accidentia non esse entia, sed entis entia, per quod non negatur habere aliquam entitatem intrinsecam sibi, sed affirmatur illam esse imperfectam, totamque ad substantiam ordinatam. Sic etiam dicuntur accidentia non esse bona, non quia in se non habeant intrinsecam aliquam perfectionem, sed quia totam illam habent ad perficiendam substantiam, quæ tunc dicitur simpliciter et absolute bona, quando habet omnem perfectionem sibi debitam juxta naturam suam, ut D. Thomas, supra, docet. Posteriori autem modo, ut aliquid sit bonum alteri, præter perfectionem suam requirit proportionem quamdam, et convenientiam cum illo: quo fortasse sensu dictum est ab Aristotele *amabile esse bonum, unicuique autem proprium*, quia unaquæque res amat, quod sibi conveniens est: et hoc modo calor dicitur esse bonus igni, non aquæ, quia licet respectu utriusque habeat eandem perfectionem, non tamen eandem proportionem, seu convenientiam: unde D. Thomas 1, 2, quæst. 26, art. 4, dicit, quod in se est, esse absolute bonum, et simpliciter bonum; quod bonum est alteri, esse tantum bonum secundum quid sub ea ratione: de quo videri potest idem D. Thomas, 3 p., q. 11, art. 5, ad 3.

11. *Bonum respectivum est, de quo agitur in*

*præsenti.*—In præsentia ergo bonum honestum objectivum, de quo agimus, non potest consistere in sola perfectione rei secundum se, nam hoc dicitur bonum respectu rei cui obicitur ut amandum, vel prosequendum: requirit ergo aliquam convenientiam cum natura hominis: unde fit ut ipsum esse divinum si obicitur homini ut sibi appetendum, non habeat rationem objecti honesti, quia est quid homini improprietatum: si vero proponatur ut amandum Deo, sit objectum honestissimum et proportionatum homini: ergo hoc honestum ut tale est, requirit formaliter convenientiam et proportionem cum natura rationali. Addendum tamen hanc convenientiam esse debere, cum natura rationali, ut rationalis est, et recta ratione gubernari potest, quia hæc honestas est suprema bonitas, quæ in eo genere convenientiæ esse potest respectu hominis: ergo debet esse secundum perfectissimum gradum et supremam perfectionem, quæ in homine est: ergo debet attendi penes naturam rationalem, ut rationalis est: et e contrario cum ratio bonitatis in communi respectu alterius consistat in aliqua convenientia, in hac convenientia ad naturam rationalem posita erit aliqua bonitas; sed illa non est utilitas, nec delectabilitas, ut per se constat: ergo est honestas: unde etiam in aliis rebus inferioribus bonitas, quæ est per convenientiam ad naturam, est distincta a delectabili et utili, et lato modo vocatur honestas: proprie ergo talis erit, si sumatur per convenientiam ad naturam rationalem ut sic.

12. *Objectio prima.*—Dicet aliquis primo: Ergo incidimus in primam sententiam improbatam, nam idem videtur esse conveniens naturæ rationali, ut sic, quod conforme rectæ rationi. Respondetur eandem rem esse, non tamen eundem respectum, et ita simpliciter negatur consequentia: quia hæc convenientia ad naturam rationalem non respicit dictamen rationis, sed naturam ipsam secundum se; ratio autem solum est applicans et proponens, quid conveniat naturæ, et tunc habet dictamen rectum, quando res ipsa ita convenit naturæ, sicut judicatur, ut si quis posset cognoscere calorem sibi esse convenientem, non esset calor conveniens propter conformitatem cum iudicio, sed propter proportionem cum natura ipsius, sicut etiam sensus aliquo modo apprehendit, quod naturæ sensitivæ conveniat, et tamen illa convenientia non est per ordinem ad cognitionem sensus, sed per ordinem ad consistentiam, seu conservationem naturæ.

13. *Objectio secunda.*—Dices secundo: Ergo bonum honestum ut sic, tantum est amabile illo amore concupiscentiæ, qui dicitur esse proprii commodi, quia tantum amatur ut propriæ naturæ rationali conveniens: consequens autem est falsum, nam potius amor commodi, et amor iustitiæ, qui est amor honesti, ut sic, condistingui solent, ut patet ex Anselmo, lib. de Casu diab., cap. 12. Respondetur æquivocationem esse in vocabulo convenientiæ: interdum enim sumitur conveniens pro eo, quod est alicui ita commodum, ut ei aliquam perfectionem et quasi utilitatem afferat, et hoc modo sumitur in objectione. Alio vero modo dicitur conveniens quod per se decet aliquo modo, et est consentaneum naturæ, et inclinationi ejus; sic dicitur Incarnatio conveniens Deo, et bonitati ejus; et similiter misereri et liberaliter se communicare, et similia sunt objecta communicare, et similia sunt objecta maxime convenientia Deo, quia sunt proportionata perfectioni et magnitudini ejus. Huiusmodi ergo convenientiam, vel proportionem requirit, per se loquendo, *honestum* ut honestum respectu rationalis naturæ, quia potest objectum esse tale, ut considerata dignitate naturæ rationalis, illam deceat, seu illi sit consentaneum amare, seu prosequi tale objectum: unde multa sunt huiusmodi objecta, quæ vel nullam commoditatem afferunt præter ipsam honestatem virtutis, vel non propterea intenduntur; imo ipsa naturæ commoditas nisi hac posteriori ratione informetur, et per se conveniens censeatur homini, ut sic non habebit rationem objecti honesti, nec sufficiens ad dandam actui honestatem, ut supra insinuatum est, et latius dicitur inferius.

14. *Secunda assertio bipartita.*—Dicendum secundo. Hæc honestas objectorum moralium interdum fundatur in perfectione, et proprietatibus realibus et physicis ipsarum rerum, interdum vero requirit ulterius proprietates morales ortas ex actibus humanis, seu liberis. Prior pars constat exemplis, nam Deus per se est maximum bonum, solum ratione suæ perfectionis et naturalis proprietatis: similiter sublevare miseriam pauperis, seu dare eleemosynam est consentaneum naturæ humanæ, quia per hanc reipsa sublevatur necessitas proximi, et sic de aliis. Ratio est, quia quædam sunt res per se, et ratione suæ perfectionis entitativæ, consentaneæ naturæ humanæ, vel quia sunt ultimus finis ejus, ut Deus, vel quia contingunt hominem cum illo fine, ut cognitio, vel amor Dei, quia ex se

recte disponunt hominem in ordine ad talem finem, vel remote, ut justitiæ, etc.; hinc enim fit ut tales res sint proportionatæ naturæ rationali, quatenus est capax beatitudinis, et ad illam inclinatur: et ideo etiam actus tendens in talia objecta, rectus dicitur, quia per illum homo recte tendit in finem sibi debitum.

15. Posterior vero pars etiam constat exemplis, quia restituere alienum, est per se bonum, et consentaneum homini, quæ honestas non fundatur in sola physica entitate vel perfectione, nam esse propriam rem vel alienam, est proprietas moralis, non physica, et in illa fundatur prædicta honestas: idem est de hac denominatione, quod res sit præcepta, etc. Ratio vero etiam est facilis ex supra dictis, quia licet istæ proprietates nihil physicum ponant in rebus præter denominationem, tamen in ordine ad humanos usus, vel actus, sunt magni momenti, quatenus manent in æstimatione hominum, et juxta illam variatur ordo ad rectam rationem, et ad convenientem usum rerum, et subordinationem inferioris ad superiorem, et ad pacem et debitam societatem hominum: ob hanc enim causam per se decens est implere promissionem, parere superiori, et unicuique servare jus suum: nam hinc etiam est, quod una voluntas possit esse regula alterius, et habeat vim inducendi obligationem, vel moralem necessitatem, et sic de cæteris proprietatibus moralibus; tamen in objecto voluntatis non requiritur major realitas seu entitas, quia intentionaliter movet media cognitione, et ideo satis est, quod in rebus habeat sufficiens fundamentum ad variandam prudentem hominem existimationem et actionem.

16. *Tertia assertio.*—Dicendum tertio. Convenientia illa, quam bonum honestum dicit ad naturam rationalem, præter rei entitatem, vel moralem proprietatem explicatam, nihil addit in ipso objecto, sed connotat in homine naturalem aliquam inclinationem ad capacitatem, seu conjunctionem cum illo objecto, seu (quod idem est) dicit denominationem aliquo modo extrinsecam consurgentem ex coexistentia plurium rerum. Hanc conclusionem sumo a simili Durando in 2, d. 34, q. 1, n. 6. Et imprimis probatur a sufficienti enumeratione, quia hæc convenientia non potest addere proprietatem aliquam, vel qualitatem absolutam et realem, quia, ut dicebamus circa tertiam opinionem, n. 9, in fine, eadem res cum eisdem proprietatibus absolutis potest esse conveniens uni, et non alteri; et deinde, quia

nec fingi, nec satis concipi potest talis res absoluta. Quod vero non sit relatio realis, ex dictis etiam patere potest, tum quia aliquod est bonum honestum, quod non est capax talis relationis, ut Deus, et Verbum divinum respectu humanitatis Christi: tum etiam, quia esto possit insurgere talis relatio prædicamentalis, in intentione boni honesti non intenditur talis relatio: sicut etiam bonum delectabile fundatur in bono naturæ convenienti ut sic, ut late Cajetanus, 1, 2, quæst. 32, art. 1, et tamen non fundatur in relatione, neque enim delectat relatio, sed res ipsa accommodata naturæ. Denique relatio rationis proprie et in rigore sumpta, jam etiam exclusæ est, quia solum habet esse fictum et cognitum per intellectum: ergo nihil superest, quod esse possit præter denominationem prædictam, seu connexionem plurium rerum, quas vox *convenientiæ* connotat, seu includit.

17. Potest præterea hoc sic declarari, nam quando una et eadem res est bona uni et non alteri, semper inter priores intercedit aliqua realis connexio, seu habitudo transcendentalis, quæ non intercedit inter alias, ut si calor est bonus igni, et non aquæ, aliquam connexionem habet cum forma ignis, a qua resultat ex natura rei, et ideo illa forma habet naturalem appetitum ad illam proprietatem, quæ non convenit formæ aquæ: cum ergo dicitur calor conveniens igni, significatur tota perfectio caloris, et connotatur illa naturalis annexio, quæ est inter calorem et formam ignis. Sic ergo in objecto honesto, imprimis requiritur ut tale sit: deinde connotatur aliqua connexio quam habet cum natura rationali, et consequenter in illa connotatur capacitas ad tale objectum: ut in exemplis positus, Verbum divinum est maximum bonum humanitatis Christi, in quo significatur et perfectio Verbi divini, et conjunctio humanitatis ad ipsum; sic etiam Deus aliter est bonum, et finis hominis, et aliter lapidis, quia in eo est alia capacitas quam sit in lapide. Quod ergo Deus sit homini conveniens, significat in Deo perfectionem, et connotat in homine capacitatem: convenientia ergo nihil aliud esse potest quam denominatio orta ex hujus modi rebus, et earum coexistentia, seu connexionem; illud ergo objectum honestum est tale, quale exigit dignitas, seu capacitas naturæ humanæ secundum propriam inclinationem rationalem.

18. Solum video posse objici contra hoc, quia si hæc doctrina vera est, superflue erant omnes relationes prædicamentales, præsertim

quæ fundantur in unitate, quia, seclusa tali relatione, potest res denominari similis, vel conformis, solum connotando coexistentiam alterius; quod concedit consequenter Durandus; sed hæc disputatio ad nos non spectat: solum duo sunt dicenda, primum est, quid sit de alia necessitate harum relationum, non posse negari quin ante illas sit fundamentalis convenientia, a qua potest aliqua denominatio etiam sumi. Secundum est, in presenti neque esse necessarias tales relationes, quia istæ (si sunt), non resultant ex quavis proportionem, sed ex formali unitate, seu conformitate in natura: hæc autem convenientia, de qua agimus, non in hoc consistit, sed in proportionem tantum.

19. *Ad argumentum in num. 1.*—Ad rationem dubitandi in initio positam jam dictum est hanc honestatem esse aliquo modo realem, non tamen oportere ut semper sit per modum entis physici, sed satis esse quod sit per modum entis moralis; et hoc est satis ut possit aliquo modo concipi in communi, sicut concipiens, et abstrahens a physico, et morali, nam quale est esse uniuscujusque rei, ita potest habere bonitatem. Et hinc constat, quid dicendum sit de objectis privativis, nam imprimis satis est ut in eis reperiat honestas fundata in aliqua proprietate morali, ut est esse prohibitum, vel præceptum. Deinde privationes secundum se consideratæ non habent appetibilitatem nisi ratione positivi, et eodem modo habere possunt honestatem, quasi per denominationem ab ea honestate, quæ est in re positiva; semper tamen privatio est hoc modo honesta, non per modum entis rationis, sed secundum illud esse quod habere potest in rebus.

20. *Quid sit malitia objectiva.*—Ex dictis de bonitate objectiva, facile est intelligere, quid sit malitia, quoniam hæc bonitati contrariatur: sicut bonitas fundatur in re convenienti naturæ rationali ut sic, ita malitia consistit in disconvenientia, quæ interdum fundari potest in rebus ipsis, vel privationibus realibus, interdum in aliqua proprietate, seu prohibitionem morali. Utrum vero hæc disconvenientia sit tantum per modum privationis, vel interdum etiam per modum rei positivæ, seu an fundari possit in positivo, ut positivum est, vel solum ut habet privationem adjunctam, dicemus late, in disp. 7, sect. 5 et 8, agentes de formali malitia actuum interiorum, quia in hoc est quæstio ejusdem rationis.

21. *Quid sit objectum indifferens.*—Atque

hinc etiam constat, quid dicendum sit de objectis indifferentibus, et quidnam sit indifferentia eorum: nam quod aliqua objecta sint talia sumitur aperte ex D. Thoma, 1, 2, q. 18, a. 8 et 9, et constat inductione, nam loqui nunc, vel deambulare, est objectum indifferens, quia de se neque bonum, neque malum est; et hæc est hujus rei ratio, quia hæc bonitas et malitia objectiva non sunt ita immediate opposita, quin possint habere medium saltem ex parte subjecti per negationem utriusque formæ: unde etiam colligitur ad hanc indifferentiam in objecto duo requiri. Primum ut in tali objecto sit aliqua ratio inferioris boni, ob quam sit appetibile, nam si hanc non habeat, non poterit esse objectum voluntatis per se, neque poterit illi dare ex vi sua aliquam speciem. Secundum est ut in se non habeat honestatem sibi debitam, neque oppositam malitiam.

22. Dices: Hoc ipso quod non habet honestatem, erit malum objectum. Respondetur negando consequentiam, quia non omnis negatio honestatis est malitia, sed negatio honestatis debite: fieri autem potest ut tali objecto secundum se et ut tale est, nulla debeatur objectiva honestas, et ut nihil etiam habeat per se dissonum, aut repugnans rationi, seu naturæ rationali quatenus talis est.

## SECTIO III.

*Utrum actus humani sumant honestatem objectivam ex objecto, sine et aliis circumstantiis, et quotuplex illa sit.*

1. *Notatio una pro resolutione.*—*Notatio altera.*—In præcedenti sectione explicui generali quadam ratione fundamentum hujus honestatis; hic vero oportet magis in particulari, magisque ad rem moralem explicare principia et radices hujus honestatis, unde obiter constabit quotuplex illa possit esse in objecto morali: proposui autem quæstionem de actibus humanis, licet, ut supra dixi, aliæ res possint habere honestatem objectivam, tamen objecta et circumstantiæ moralia proprie reperiuntur in actibus humanis: verum ea quæ dicemus poterunt facile, servata proportionem, accommodari ad res alias: et eodem modo loquar semper de actibus externis, quæ sunt frequentiora objecta actuum interiorum: inde tamen constabit quid dicendum sit de actibus internis, quatenus per reflexionem aliquam possunt esse objecta aliorum actuum interno-

rum. Deinde supponendum ex D. Thoma 1, 2, q. 18, a. 6, et q. 1, de Mal., a. 4, licet actiones exteriores sint objecta voluntatis internæ, tamen ipsæ etiam suo modo habent objecta sua, ut constat aperte in actibus intellectus, vel appetitus sensitivi, vel sensuum externorum, nam omnes isti actus vocantur externi in præsentem: atque idem est de aliis actionibus exterioribus, quæ subordinantur voluntati, quæ omnes reducuntur ad motionem localem, et objectum earum esse censetur materia, circa quam versantur formaliter sumpta, et ut ad mores pertinet, nam locutionis, ut, verbi gratia, objectum esse censetur res, quæ significatur: actionis autem eleemosynæ est miseria proximi ut sublevanda, et sic de aliis: præter hæc autem objecta habent hæc actiones circumstantias suas, ut constat ex dictis, tract. 2, disput. 5. Solum est notandum licet finis comprehendatur sub circumstantia, tamen propter specialem modum afficiendi, D. Thomas in hac materia semper de illo specialiter loquitur, distinguens illum a cæteris circumstantiis, et ita nos etiam loquemur in hac sectione.

2. His positus videtur esse multorum sententia actum humanum ab omnibus his accipere bonitatem: et consequenter aliam esse in hujusmodi actu honestatem sumptam ex objecto, seu materia circa quam versatur, aliam ex circumstantiis, aliam ex fine: quod videtur posse fundari in D. Thoma 1, 2, q. 18, a. 4, et ratio esse potest, quia licet ad completam rei perfectionem requiratur substantia et accidens, ut videre est in substantiis; tamen alia est bonitas, quam dat forma substantialis, alia vero, quam dat forma accidentalis: ita ergo in præsentem objectum, quod est quasi substantialis forma, dabit substantialem bonitatem; finis vero et circumstantiæ, cum sint accidentia, dabunt distinctam bonitatem. In contrarium autem est, quia objectiva bonitas in his actibus videtur esse sicut sanitas, vel pulchritudo in corpore: sicut ergo sanitas, vel pulchritudo solum est una forma, licet resultet ex multis, ita erit tantum una bonitas in actu resultans in illo ex omnibus requisitis ad honestatem.

3. *Prima assertio bipartita.* — Dicendum primo, actum humanum præcipue sumere honestatem objectivam ex materia circa quam versatur, seu ex effectu in quem primo et per se tendit; non tamen hoc sufficit ad hujusmodi honestatem. Prior pars a simili sumi potest ex D. Thoma 1, 2, quæst. 18, art. 6, et eam significat, quæst. 20, art. 1 et 2, et patet

inductione: nam actus comedendi, verbi gratia, potest esse bonus objective, et hoc primario et per se habet, quia versatur circa materiam, qua potest subvenire necessitati naturæ: et idem est de actu eleemosynæ: et e contrario, actus homicidii est malus, quia habet pro objecto destructionem vitæ humanæ. Ratio hujus partis est, quia, ut supra dixi, hæc bonitas fundatur in rerum entitate et perfectione; sed hujusmodi actiones ex suis propriis terminis, seu materiis circa quas versantur, habent ut sint talis rationis, vel perfectionis: ergo ex eodem capite habebunt convenientiam ad naturam humanam.

4. Posterior vero pars conclusionis est æque certa, et communis omnium, et in eisdem exemplis facile potest declarari: et ratio est, quia actio humana ut sit objectum honestum, requirit mediocritatem quamdam, quæ mediocritas non attenditur ex sola materia, sed etiam ex aliis conditionibus, vel ipsius materiæ, ut scilicet sit tanta, vel talis, vel ipsius, etc., ut propterea fortasse dixerunt Henricus, Scotus et alii citandi, ex objecto nude sumpto non sumi bonitatem moralem, sed naturalem, aut non sumi specificam in genere moris, sed quasi genericam, quæ per conditiones, seu circumstantias determinanda est: hæc enim et similia melius accommodantur ad hanc bonitatem objectivam, quam ad formalem, ut ex dicendis constabit.

5. *Secunda assertio.* — Dicendum secundo. Honestas specifica objectiva consurgit in hujusmodi actu ex materia et conditionibus omnibus ipsius actionis, quæ necessariae sunt, ut talis actus sit conveniens rationali naturæ ut sic. Hanc sumo ex D. Thoma 1, 2, quæst. 18, art. 1, et indicat etiam quæst. 19, art. 2, præcipue ad 2, item Durandus, in 2, d. 38, q. 1, num. 8, ubi dicit in objecto voluntatis honestæ includi necessarias circumstantias. Scotus, in 2, dist. 40, et quodlib. 18, dicit bonitatem actus humani consistere in quadam integritate materiæ et circumstantiarum actus: et idem sentiunt fere omnes alii citandi. Ratio vero in generali reddi potest, quia bonitas hæc sumenda est per convenientiam ad rationem, seu naturam rationalem: ergo quidquid in actione est necessarium, ut sit conveniens rationali naturæ, est necessarium ad hanc honestatem objectivam; sæpe autem non sufficit sola materia circa quam versatur actio sine aliis conditionibus ad prædictam convenientiam secundum talem speciem, vel rationem, quod maxime verum est in actibus exterioribus.

Cujus rationem attingit D. Thomas 1, 2, q. 19, art. 2, quia istæ actiones sunt inferioris ordinis: res autem quanto est inferioris ordinis tanto habet integritatem ex pluribus rebus. Sic ergo omnes illæ conditiones sunt veluti intrinseca principia hujus bonitatis.

6. *Circumstantiarum triplex genus.* — De primo circumstantiarum genere. — Ut autem hæc conclusio magis in particulari declararetur, revocandum est in memoriam quod dictum est, tract. 2, disp. 5, sect. 3, quasdam esse conditiones actus, quæ non sunt proprie circumstantiæ, sed pertinent ad essentiam ejus in genere moris; alias vero esse, quæ sunt proprie circumstantiæ et accidentia, inter quas quædam mutant, seu addunt speciem bonitatis, vel malitiæ, quædam vero, solum augent intra eandem speciem: et circa hæc omnia membra aliquid est ad notandum: conclusio enim posita præcipue verum habet imprimis conditionibus essentialibus, nam illæ non supponunt, per se loquendo, aliquam honestatem objectivam, sed illam complent, atque constituunt: et ideo dicit D. Thomas, ubique has conditiones transire in rationem objecti 1, 2, quæst. 18, art. 5, ad 4, et art. 10, ad 1 et 2, et quæst. 2, de Malo, art. 7, quia sunt veluti principia essentialia constituenta integrum objectum; et hoc modo optime intelligitur quod dici solet, conditionem accidentalem in genere entis, posse esse essentialem in genere moris, quod potest exemplo physico declarari, nam frigiditas accidit aquæ in genere entis naturæ; in ratione tamen convenientis homini vel ad salutem, vel ad aliquid simile, ut sic potest esse de essentia, quia illa convenientia potest esse talis, ut consurgat ex multis, et in rebus artificialibus id facilius reperitur.

7. *De secundo genere circumstantiarum.* — Circa conditiones, seu circumstantias accidentales mutantem speciem, inquiri solet, an se habeant ut accidentia respectu prioris speciei, vel ut principia essentialiter contrahentia, sicut dictum est de prioribus conditionibus. Cum qua quæstione adjuncta est alia, an ratione harum circumstantiarum multiplicetur species bonitas, vel malitia objectiva horum actuum, vel solum constituatur una species tanquam ex genere et differentia. Aliqui enim auctores præsertim Conradus 1, 2, quæst. 18, art. 10, significant semper ex his consurgere unam tantum speciem, et consequenter bonitatem et malitiam sumptam ex una circumstantia comparari ad alteram ut genus ad differentiam:

et quamvis ipsi loquantur de bonitate formali, tamen eadem ratio, imo tota radix est in bonitate objectiva. Id declaratur exemplis, nam subvenire proximo existenti in necessitate, habet honestatem materiæ, seu objecti: si vero addatur circumstantia circa quid, scilicet quod ille proximus sit pater meus, talis actus habet bonitatem pietatis, non simul cum bonitate materiæ, sed contrahendo priorem bonitatem, et transferendo ex uno genere ad aliud; si vero aliter mutaretur illa circumstantia, et fieret eleemosyna loco sacro, actus erit religionis, et non misericordiæ. Similiter in malis, accedere ad non suam, præcise consideratum, habet malitiam fornicationis; si vero addatur circumstantia, quod sit uxor alterius, dat novam speciem contrahendo et componendo cum priori malitia unam tantum speciem, ut sentit D. Thomas 2, 2, quæst. 154, art. 8, et in 4, dist. 41, quæst. 1, art. 4, quodlib. 2, et quæst. 2, de Malo, art. 6, ubi alia exempla adducit, et multa docet, in quibus videtur huic sententiæ favere: et ratio adjungi potest, quia ex illis omnibus constituitur unum integrum objectum: ergo ex omnibus illis per modum unius resultat una convenientia.

8. Alii vero in universum existimant, quandoque objectum cum talibus conditionibus habet certam speciem honestatis, vel malitiæ, et si nulla alia circumstantia adjungatur, tunc si circumstantia addita addat novum ordinem convenientiæ, vel disconvenientiæ ad rationem, non contrahere specificè priorem honestatem, sed addere novam speciem, sive illa circumstantia sit separabilis ab actu in esse naturæ, sive non. Exempla videntur clara, nam si quis subveniat sacerdoti indigenti, in eo actu est honestas misericordiæ, quam haberet, etiam si ille non esset sacerdos, et tamen illa circumstantia ex se addere potest honestatem religionis, in quantum illa persona est sacra, cui ea ratione debetur cultus, et honor: nec posterior bonitas excludit priorem, cujus apertum signum est, quia potest ille actus exterior objective communicare interiori unam honestatem, et non aliam, si quis unius intuitu operetur, et non alterius. De malitia vero retorqueri potest exemplum de adulterio, quia revera illa circumstantia circa quid uxoris alienæ, non tollit totam deformitatem intemperantiæ, sed addit speciem injustitiæ, ut sæpe etiam significat D. Thomas 2, 2, q. 154, art. 1, ubi Cajetanus et idem videtur esse de furto in loco sacro, nam habet speciem injustitiæ et sacrilegii, de quo 2, 2, quæst. 99, favet